

FRUTETUM SVECICUM

✻
Linné

Q. F. F. Q. S.

FRUTETUM SVECICUM,

QUOD

CONSENS. EXPERIENT. FACULT. MEDICÆ
IN ILLUSTR. LYCÆO UPSAL.

PRÆSIDE

VIRO NOBILISSIMO atque EXPERIENTISSIMO

**DN. DOCT. CAROLO
LINNÆO,**

EQVITE AURATO DE STELLA POLARI,
ARCHIAT. REG. MED. ET BOTAN. PROFESS.
ACAD. UPS. HOLM. PETROPOL. BEROL. IMPERIAL.
LONDIN. MONSPEL. TOLOS. FLORENT. SOCIO.

PUBLICO ERUDIT. EXAM. MODESTE SUBJICIT

DAVID MAGN. VIRGANDER,

SMOLANDUS.


IN AUDIT. CAROL. MAJORI DIE XXIII. MAJI
ANNI MDCCLVIII.

H. A. M. S.



U P S A L I Æ,

Excud. L. M. HÖJER, Reg. Acad. Typogr.






METHODUS
DIANDRIA.
Ligustrum 7.
Syringa 70.
TETRANDRIA.
Cornus 8.
PENTANDRIA.
Azalea 62.
Lonicera 5. 6. 38. 74. 75.
Solanum 40.
Rhamnus 13. 25.
Evonymus 3.
Ribes 9. 10. 11. 30. 76.
Hedera 39.
Viburnum 12.
Sambucus 1.
HEXANDRIA.
Berberis 29.
OCTANDRIA.
Daphne 43.
Vaccinium 47. 63. 64.
DECANDRIA.
Andromeda 65. 66.
Ledum 46.
Pyrola 67.
ICOSANDRIA.
Philadelphus 71.

SEXUALIS.
Prunus 28.
Cratægus 27.
Mespilus 41.
Spiræa 72.
Rosa 31 = 34.
Rubus 35 = 37.
Potentilla 44.
DIADELPHIA.
Spartium 50.
Genista 48. 49.
Emerus 42.
Robinia 73.
MONOECIA.
Betula 14.
Corylius 2.
DIOECIA.
Salix 15 = 24. 51 = 61.
Empetrum 68.
Viscum 69.
Myrica 45.
Hippophae 26.
Sabina 77.
POLYGAMIA.
Acer 4,






I. N. 7.

CAPUT I.

§. I.



inter Arbores & Frutices, nulli quidem in ipsa natura termini constituti sunt, divisio tamen hæc adeo communiter recepta est, ut nullo negotio Arbores a Fruticibus distingvantur; Arbores enim sunt majores, firmo atque valido nixæ trunco suas extollunt coronas, ne ab animalibus attingantur; e contrario autem Frutices minores sunt, a pecoribus quotannis tondentur, pluribus gaudent caulibus, iisque adeo infirmis, ut per eos scandere nequeamus.

§. II.

Frutices campis præbent umbraculum, ne aër particulas humi minimas & subtilissimas, quæ alimentum præbent herbis, devertat: sub se plantas nemorosas & vernaes vividis foliis æstate a radiis solis, & hieme frondibus delapsis, a gelu protegunt vehementissimo: denique

A

que

que se intra plantas haut paucas, annuas præcipue, ut pecora in propagationem eas intactas relinquunt, defendunt; cum contra arbores ardorem cœli arceant, ventosque vehementiores in sublimi coërceant, quamvis adhuc tenues, naturam ipsorum fruticum induant.

§. III.

USUS Fruticum in Oeconomia privata, minime exiguus est: in macro & sterili sæpe solo crescunt, ubi Arbores majores vix ac ne vix quidem emergunt. Frondes pecoribus alimenta subministrant, adeoque terræ fertilitatem adaugent. Lignum & materiam instrumentorum variorum œconomix sufficiunt. Sepes vivæ ex iisdem confici possunt, quæ huc usque per patriam ex lignis, ad pecora excludenda, non sine perniciosa silvarum jactura, contextæ sunt. Prata alunt, rura ornant, gramina promovent, in locis ab iisdem inclusis.

§. IV.

Frutices intra Patriam habitantes, h. e. qui nostram cœli temperiem patiuntur, haut abs re fuerit enumerare, cum primum sit eos rite cognoscere, & quidem commode in sex ordines dividi possunt:

I. DUMI, vel erecti Frutices, absque spinis, & ea altitudine, ut ad sepes vivas maxime sint accommodati.

II. SENTES, h. e. recti Frutices cum spinis, ut iis pecora excludantur.

III. VEPRES, vel Frutices sparsis caulibus cum aculeis, eundem in finem.

IV. SARMENTA, i. e. Frutices scandentes.

V. CREMIA, a quibusdam suffrutices vocati, cum vix ad altitudinem ulnæ excresecant, quos facillimo negotio animalia transire possunt.

VI. EXOTICÆ, h. e. Frutices extranei, qui nostras hiemes facile ferunt.

CAP. II.

§. I.

Fruticum supra memoratorum species sequentes sunt.

DUMI.

- 1 *Hyll* Fl. Sv. 265. *SAMBUCUS nigra* Fl. œcon. 250.
- 2 *Hassel* Fl. Sv. 873. *CORYLUS Aveliana* Fl. œc. 787.
- 3 *Alster* Fl. Sv. 204. *EVONYMUS europæus* Fl. œc. 133.
- 4 *Nafwer* Fl. Sv. 925. *ACER campestre*.
- 5 *Try* Fl. Sv. 194. *LONICERA Xylosteum* Fl. œc. 192.
- 6 - - Fl. Sv. 1299. *LONICERA cœrulea*.
- 7 *Liguster* Fl. Sv. 5. *LIGUSTRUM vulgare* Fl. œc. 4.
- 8 *Struß* Fl. Sv. 138. *CORNUS sanguinea* Fl. œc. 131.
- 9 *Måbår* Fl. Sv. 206. *RIBES alpinum* Fl. œc. 198.
- 10 *Vinbår* Fl. Sv. 205. *RIBES rubrum* Fl. œc. 197.
- 11 *Distron* Fl. Sv. 207. *RIBES nigrum* Fl. œc. 196.
- 12 *Oltwon* Fl. Sv. 264. *VIBURNUM Opulus*.
- 13 *Torste* Fl. Sv. 203. *RHAMNUS Frangula* Fl. œc. 194.
- 14 *Vivang* Fl. Sv. 860. *BETULA nana* Fl. œc. 777.
- 15 *Korgpil* Fl. Sv. 901. *SALIX viminalis* Fl. œc. 813.
- 16 *Wiar* Fl. Sv. 884. *SALIX purpurea*.
- 17 *Gråvide* Fl. Sv. 902. *SALIX cinerea* Fl. œc. 805.
- 18 *Follster* Fl. Sv. 879. *SALIX pentandra* Fl. œc. 792.
- 19 *Pilbuskar* Fl. Sv. 878. *SALIX hermaphroditica*.
- 20 - - Fl. Sv. 881. *SALIX amygdalina*.
- 21 - - Fl. Sv. 880. *SALIX phylicifolia*.
- 22 - - Fl. Sv. 893. *SALIX lapponum* Fl. œc. 808.
- 23 - - Fl. Sv. 882. *SALIX hastata*.
- 24 - - Fl. Sv. 891. *SALIX aurita*.

§. II. SENTES.

- 25 *Vigel* Fl. Sv. 202. *RHAMNUS catharticus* Fl. œc. 193.
- 26 *Haftorn* Fl. Sv. 906. *HIPPOPHAE Rhamnoides* Fl. œc. 399.
- 27 *Hagtorn* Fl. Sv. 434. *CRATÆGUS Oxyacantha* Fl. œc. 399.
- 28 *Slån* Fl. Sv. 432. *PRUNUS spinosa* Fl. œc. 397.

- 29 *Berberis* Fl. Sv. 311. BERBERIS *vulgaris* Fl. æc. 290.
 30 *Krisbår* Fl. Sv. 208. RIBES *Uva crispisa* Fl. æc. 195.

§. III. VEPRES.

- 31 *Njupon* Fl. Sv. 441. ROSA *canina* Fl. æc. 406.
 32 *Smör Njupon* Fl. S. 442. ROSA *spinossissima*.
 33 *Klånger* Fl. Sv. 1295. ROSA *villosa*.
 34 *Fuglon* Fl. Sv. 443. ROSA *elegantaria*.
 35 *Brombår* Fl. Sv. 444. RUBUS *fruticosus* Fl. æc. 409.
 36 *Björnbår* Fl. Sv. 445. RUBUS *cæsius* Fl. æc. 410.
 37 *Hallon* Fl. Sv. 446. RUBUS *ideus* Fl. æc. 408.

§. IV. SARMENTA.

- 38 *Matled* Fl. Sv. 193. LONICERA *Perichlymenum*.
 39 *Heder* Fl. Sv. 209. HEDERA *Helix* Fl. æc. 190.
 40 *Quesa* Fl. Sv. 201. SOLANUM *Dulcamara* Fl. æc. 189.

§. V. CREMIA.

- 41 *Oxbår* Fl. Sv. 438. MESPILUS *Coroneaster*.
 42 - - Fl. Sv. 636. CORONILLA *Emerus*.
 43 *Tift* Fl. Sv. 338. DAPHNE *Mezereum* Fl. æc. 314.
 44 *Tok* Fl. Sv. 451. POTENTILLA *fruticosa* Fl. æc. 416.
 45 *Pors* Fl. Sv. 907. MYRICA *Gale* Fl. æc. 817.
 46 *Squatran* Fl. Sv. 352. LEDUM *palustre* Fl. æc. 341.
 47 *Odon* Fl. Sv. 332. VACCINIUM *uliginosum* Fl. æc. 312.
 48 *Ginft.* Fl. Sv. 634. GENISTA *tinctoria* Fl. æc. 587.
 49 - - Fl. Sv. 635. GENISTA *pilosa*.
 50 - - Fl. Sv. 633. SPARTIUM *scoparicum* Fl. æc. 589.
 51 *Wide* Fl. Sv. 898. SALIX *rosmarinifolia* Fl. æc. 811.
 52 - - Fl. Sv. 897. - - *fusca*.
 53 - - Fl. Sv. 895. - - *incubacea*.
 54 - - Fl. Sv. 894. - - *arenaria*.
 55 - - Fl. Sv. 896. - - *repens*.
 56 - - Fl. Sv. 892. - - *lanata*.
 57 - - Fl. Sv. 899. - - *depressa*.
 58 - - Fl. Sv. 886. - - *arbuscula*.
 59 - - Fl. Sv. 889. - - *Myrtilloides*.

- 60 - - Fl. Sv. 885. - - *Myrsinites.*
 61 - - Fl. Sv. 890. - - *glauca.*
 62 - - Fl. Sv. 180. AZALEA *lapponica.*
 63 - - Fl. Sv. 333. VACCINIUM *Myrtillus* Fl. cec. 313.
 64 - - Fl. Sv. 334. VACCINIUM *Vitis idæa* Fl. cec. 314.
 65 - - Fl. Sv. 356. ANDROMEDA *tetragona.*
 66 - - Fl. Sv. 357. - - - *calyculata.*
 67 - - Fl. Sv. 363. PYROLA *umbellata.*
 68 - - Fl. Sv. 904. EMPETRUM *nigrum* Fl. cec. 832.
 69 *Mistel* Fl. Sv. 905. VISCUM *album.*
 & pauci alii adhuc minores.

§. VI. EXOTICÆ.

- 70 SYRINGA *vulgaris.*
 71 PHILADELPHUS *coronarius.*
 72 SPIRÆA *salicifolia.*
 73 ROBINIA *frutex.*
 74 LONICERA *tatarica.*
 75 - - *Caprifolium.*
 76 RIBES *reclinatum.*
 77 JUNIPERUS *Sabina.*

CAP. III. DUMI.

I SAMBUCUS *nigra* Fl. Sv. 265. *Hyll*, passim habitat in campetribus Scaniae locis, vix vero in tractibus supra illos sitis, (quamvis in hortis ubique usque ad Gestriciam) & videtur vero simile, tempore quo Romano-catholici ad nos intraverant, in Sueciam primum fuisse translata, etiamsi jure quasi civitatis hodie apud nos utatur. In vario crescit solo, argilla vero illi maxime placet: prope pagos imprimis luxuriat, cum fimo latetur, nec vero occurrit in convallibus, quod signum est, eam terram succulentam non quærere; aprica amat, nec facile fert loca umbrosa. Baccæ ejus, in Provinciis meridionalibus & Scania quotannis, non vero in regio-

regionibus magis ad boream vergentibus, semper maturascunt; ad radices facillime dividitur, & propagatur etiam stolonibus; ut vix opus habeamus illam seminare. Topiaria minime est, ejusque caules ætatem circiter decem annorum ferunt. Odor, nec non sapor ejus detestabilis, illam venenatam reddunt; gallinas flores & baccæ necant: ad altitudinem binarum orgyarum sæpe adscendit.

2. CORYLUS *Avellana* Fl. Sv. 873. ; *Hoffel*, a Dalékarlia vel Angermannia, usque ad Scaniam, non vero facile supra illas occurrit; habitat in collibus, & sabuloso solo lætatur; non in palustribus & humidis locis valet; aprica & umbrosa perfert; prima iter arbores Sueciæ florescit, & quidem prius, quam folia explicare incipit: si tum fœminei flores polline masculorum copiosius conspergantur, nuces plures & majores evadunt. Nuces mense Messis maturescunt, & seminatae, post annum demum & quidem sæpius post duos germinant. Plantatur etiam divisis radicibus: tondetur aptissime. Ab agricolis traditur Fruticem majorem, si resecatur media ætate, cubitali caule supra radicem relicto, emori penitus *), non vero, si juxta radicem exsecetur. Memoratu dignum est, illam in planitie rupestri crescentem Oelandiæ, vix unum cubitum cum dimidio excedere altitudine, cum alioqui altissimus nostrorum fruticum sit, sæpe binis orgyis sublimior, adeo ut quis facile sibi persuadere possit, Oelandicam nanam esse a reliquis distinctam speciem, quod tamen fundamento caret. Cum in Oelandiæ rupestribus crescat, facile crederem, eandem aptissime in *Fablbögdén* Westro-Gothiæ plantari.

3. EUONYMUS *europeus* Fl. Sv. 204. *Alster*, habitat in locis campestribus Scaniæ, inque Oelandia & Gothlandia, raro vero ultra has, quamvis boreale frigus in hortis Upsaliensibus toleret, Locus ejus præcipuus in tumu-

*) *iter Gotbland. pag. 302.*

tumulis & acervis lapidum est, etiamsi non respuit humum roridam & succulentam. Lætatur campis, nec nemora fastidit. Baccæ intra capsulam maturescunt mense Defoliationis, & hærent in frutice ad feram hiemem. Facillime feritur, nec majori negotio viviradicibus, & radicibus divisis multiplicatur. Tonsilis est ac topiaria & evadit frutex densissimus, atque exurgit ad viri altitudinem, quamvis sibi relictus, æquet altitudinem Sambuci. Cum in nemoribus habitat, Phalæna Tinea Evonymella folia ejus sæpe omnia consumit, & illam quasi texto Aranææ obducit.

§. 4. ACER *campestre* Fl. Sv. 925. *Nasvoer*, apud Schaberfjõ Scaniæ observata solum est, quo recentiori ævo haut dubie pervenit, quamobrem nobis minus nota quoad culturam & quam procul a Scania cœli temperiem perferat. Agrorum in acervis lapidum occurrit, adeoque sabulosum solum expetit. Frutex rarissime in Scania fertilis est. E seminibus, quæ facillime oriuntur, & divisis radicibus propagatur. Rami ejus crassissimi, cortice suberoso tecti, efficiunt, ut reliquis rigidior & durior fiat, quamvis minus sit topiaria; non vero tonderi debet hieme, quum uti congeneres lacrimas fundat.

§. 5. LONICERA *Xylosteum* Fl. Sv. 194. *Try*, per totam Sueciam usque in septentrionalem Westrobothnam, in collibus aridissimis & glabretis, ubi alii frutices vix vivere possunt, locum suum habet; sabuleta quærit, nec tamen contemnit humum succulentam; apricis & campis tribus lætatur; baccis, adhuc vero facilius divisis radicibus propagatur: inter topiarios præstantiores locum obtinet rigidis suis ramulis, sed altitudinem viri vix adsequitur.

§. 6. LONICERA *cærulea* Fl. Sv. 1299, quondam inventa est in silvis ad Bodinam Sulphuræam Dylta in Nericia, unde in hortos translata, pulcre viget; apud ex-
 (teros

eros habitat in regionibus frigidissimis & locis Alplum proximis; in sabuletis crescit, nec contemnit humum fertiliorem. Nemorosus gaudet; commode tondetur; vi- get uti præcedens ramis durissimis; minus ad radices multiplicatur & illo altior evadit. Culturam ejus specia- lissimam, adhuc mihi notam non habeo.

7. **LIGUSTRUM vulgare** Fl. Sv. 5. *Liguster*, ha- bitat in silvis maritimis Bahusiæ, Orost inprimis. Hie- mes nostræ etjam in Uplandia illam non enecant. Locus ejus naturalis in arenosis aridis est, si vero plantatur in locis humidioribus, gelu sæpe per hiemes destruitur, quod in siccloribus rarius fit. Lætius crescit in locis a- pricis & apertis; apud nos sæpe frutifera est; vivis ra- dicibus & surculis plantatur, quæ præcipue multiplican- tur ad radicem. Inter præstantissimos frutices in opere topiario numeratur *), multi enim & tenues ejus ra- muli illam huic negotio aptissimam reddunt, ut quæli- bet facile figura ipsi induci possit; ad sepes humiles in hortis præstantissima habetur; sepibus vero silvestribus Sueciæ vix inservit, cum apud nos humilior sit, quam ut ad hos usus aptari queat.

8. **CORNUS sanguinea** Fl. Sv. 138. *Struss*, ad pagos Scaniæ passim habitat, nec non in Gothlandia, & ad Kinne-Kulle Westrogothiæ, alias vero rarissime apud nostrates; fata fuit in hortis Upsaliensibus, ubi hiemes complures patiebatur, anno vero 1740 frigore periit. In sabuleto pingviori crescit, imprimis subhumido; vi- get in locis umbrosis, depressis, sed facile a majoribus arboribus suffocatur. Baccæ ejus autumnò maturescunt, & fatæ ultra annum in terra manent, antequam emer- gunt, raroque succrescunt nisi in terra consistentiori. Fru- tex humanam altitudinem attingit, apte tondetur, non vero densus evadit, sed rami ejus rigidissimi, Xylosteo æ- muli, pecora excludunt.

9. Rf-

*) It. W-Gorb. p. 192.

9. RIBES *alpinum*, Fl. Sv. 206. *Måbår*, in tota Uplandia, Norrlandia, sed in Ostrobothnia copiosissime occurrit, rarius vero in provinciis nostris meridionalibus: ad oras silvarum plerumque inhabitat declivia sabuleta, non vero humida. In ipsis campis farinaceo-arenosis Ostrobothniæ frequentissima est; & in nemoribus & apricis ^{occurrit} obvium; radicibus divisis facillime multiplicatur. Baccis arte satam non vidi, quamvis aves quotannis eam serant. Egregie consilis est ad sepēs omnium pulcerrimas, vix vero ulna & dimidia altiores. In humo succulenta hieme sæpe destruitur, quod accidit Upsaliæ anno 1753.

10. RIBES *rubrum* Fl. Sv. 205. *Winbår*, Norrlandiæ proprius frutex, crescit enim passim per Westrobothniam & copiosissime supra Tornoam. Hiemes nostras in tota Suecia patitur; fertiliorem terram non respuit; in sabuletis vero musco facile obducitur & consumitur; magis lætatur umbrosis quam campestribus; malleolis & stolonibus facile plantatur, ut non opus sit seminibus eum serere; tondetur ad sepēs aptissime.

11. RIBES *nigrum* Fl. Sv. 207. *Distron*, cum proxime præcedenti in Westrobothnia habitat, in hortis etiam passim; expetit humum pingvem & magis humidam quam præcedens. In campestribus non facile provenit; ramis propagatur uti præcedens. Rami hujus magis laxi pendent, nec forfice adeo apte formantur.

12. VIBURNUM *Opulæ* Fl. 264. *Olfvon*, crescit per totam patriam ipsamque Bothniam, in locis semper uliginosis, quamvis humum etiam ficiorem, sed succulentam tamen perferat. Oritur & in campis apertis & umbrosis, quamquam radiis solis magis lætetur. Taleis & vivis radicibus multiplicatur potius, quam seminibus, quæ vix ab aliis quam avibus feruntur. Ad sepēs minus

apta est, frutex enim ad radicem minus copiosus evadit, rami vero ejus duri & validi sunt.

13. RHAMNUS *Frangula* Fl. Sv. 203. *Torste*, in tota Suecia, immo & Lapponia crescit, semper paludosis locis: in umbroso, sed humido tantum solo; campos non patitur, sed ut ab alijs arboribus obumbretur necesse est, sola enim inter Arbuta Sueciæ gemmis sive hibernaculo destituitur, quamobrem gelu hiemali in campis destruitur æque ac arbores indicæ. Aves semina conferunt, quod nondum facere conata est hortulanorum industria. E radice surculi exorescunt, qui facile solvuntur & transplantantur, sed rariores, ut non per se & in suo solo sepe conficiat, quamvis aptissime alijs intermiscetur; capræ ramos ejus, si copia datur, & folia libentissime devorant.

14. BETULA *nana* Fl. Sv. 860. *Vivang*, Alpium quidem proprius frutex, sed extra illas paludibus Sueciæ cæsposis passim contenta occurrit, locis scilicet limosis & madidis. Præ reliquis aprica quærit, uti omnes plantæ alpinæ. In cæsposis paludibus altior evadit, quam in patriis suis alpibus, & utroque in loco e feminibus propriis oritur. In hortum Upsaliensem invecata est, ubi folia majora evadunt, & semina & flores fert quotannis, sed sativone heic non provenit. Aptissime tondetur & quidem commodius Betula alba, sed altitudinem ulnæ & dimidiæ vix superat; sola fere nostratum est ad sepes in cæsposis apta. Lacrimas fundit tempore vernali uti Betula alba: ideoque mense Germinationis eam tondere non licet.

15. SALIX *viminalis* Fl. Sv. 901. *Korgpil*, occurrit ad campos Scaniæ passim, ubi etjam sapius culta est; habitat sponte in confinibus Scaniæ campestris & silvestris, locis nemorosis; hiemes in Uplandia optime tolerat. In solo quocunque etjam in argilloso crescit; ferti-

fertilliori in terra luxuriat, sed sicca & dura fastidit, & terram humidiusculam præ reliquis eligit: lætatur nemoribus, vel sepimentis & parietibus adjacentibus, ubi ad alterum latus fulciatur; rami enim ejus longissimi a trunco tenui vix per se sustineri possunt. Mas & fœmina in diversis arboribus, quemadmodum in plerisque aliis Salicibus sunt. Ad finem mensis Germinationis floret. Non est quod seminibus feratur, rami enim in terra mense Regelationis depositi, radices facillime agunt. Altitudinem trium orgyrum attingit, idque sæpe intra spatium trium annorum: adeo ut nullus frutex omnium totius patriæ, celerius, altius aut facilius crescat. Cum frutex hicce non procul ad terram dissecatur, stolones plures emittit, densior evadit, & sæpius tonsus rectior rigidiorque; quod pecora illum quotannis tondent, densior fit, modo ne capræ illam delibrent. Usus ejus in Oeconomia nostra magni momenti omnino est, nempe ad sepes celeriter obtinendas; ad sepimenta & domos viliores obtegendas; frondes pecoribus sapidissimæ sunt; lenta hujus vimina domesticis usibus variis inserviunt, imprimis ad vincula sepimentorum, nec non ad corbes contexendas, adeo ut existimarem nullum fruticem colonis nostratibus magis necessarium esse, imprimis pagos Uplandiæ ornaret, qui calvis castris sæpius inædificati, omnibus procellis & tempestatibus expositi, hoc frutice egregie munirentur & includerentur.

16. SALIX *purpurea* Fl. Sv. 884. *Wiar*, in locis quibusdam Scantiæ pariter ac Salix viminalis crescit, temperiem cœli etjam hic in Uplandia fert. Succulento solo, & in sicciori & humidiori, non vero in aridiori & arenaceo facile provent; & aprica & umbrosa perfert; ad altitudinem viri evehitur, multis ramulis e radice enatis; propagatur uti reliquæ Salices stolonibus, qui tempore vernali, mense Germinationis, in terra depo-

nuntur antequam folia explicat. Totus frutex, ante frondescentiam, rubicundus evadit. Rami ejus adeo len- ti sunt, ut sæpissime centies contorqueri possint, quam- obrem nullus Sueciæ frutex ad vincula magis aptus est; adeoque auctor essem agricolis, rura sua & imprimis pa- gos hoc frutice conferere, ob multiplicem ejus usum in Oeconomia privata, quum eo commode non careant Ru- stici; aptissime plantatur juxta sepimenta, aut ad sepes; ad vimina, corbes, vincula sepimentorum, ligamina in hortis &c. reliquis omnibus palmam eripit.

17. *SALIX cinerea*. Fl. Sv. 902. *Grävide*, habitat in uliginosis & paludosis per totum regnum. Altitudi- nem viri attingit, frutice ramoso & diffuso; imprimis locis apricis facillime radices agit, depactis stolonibus. Pro sepibus inferviret aliis immixta, per se autem non facile, cum frutex patulus caules distantes erigat, sed si aliquoties disseccetur, plures emittendo furculos, arte den- sior evadit.

18. *SALIX pentandra* Fl. Sv. 879. *Folster*, notis- simus nobis frutex, nuper famosior Bombycino pappo, a Domino Pr. Westbeckio decantato. Crescit per to- tam Sueciam in locis uliginosis, aut per hiemem inunda- tis, sæpius sterilissimis, nec infrequens in ipsis montibus, ubi aqua pluvialis stagnat; propagatur facillime stioni- bus; altitudinem attingit fere Coryli; detruncato caule frutex densior evadit, ut sepibus immisceri queat. Re- liquis Salicibus nostratibus pulchrior aestimatur, ob folia nitidissima, serius etjam floret.

SALICES, 19 *hermaphroditica*, 20 *amygdalina*, 21 *phlyctifolia*, 22 *lapponum*, 23 *bastata*, 24 *aurita*, in Lapponia & Norlandia habitant, quas quum heic plan- tare non dum adgressi simus, aliis examinandas relin- quimus.

CAP. IV. SENTES *ÆONN* Svecis.

25. RHAMNUS *catbarticus* Fl. Sv. 202. *Vigel*, in maritimis Roslagiæ, ad Hunneberg Westrogothiæ, in Scania, in Uplandia & pluribus in locis, vix vero in Norlandia crescit. Frutex exsurgit ad altitudinem Coryli, sive ad binarum orgyrum; luxuriat locis pingvioribus & humosis, crescit etiam in durioribus, sed humilior inde evadit; rorida & subhumida non respuit. Lætilior occurrit in apricis quam locis umbrosis. Mas & fœmina diversæ arbores sunt. Propagatur baccis, modo fœcundatæ sint; dividitur sæpissime apud terram, ut propagetur malleolis. Aptissime tondetur & densissimus evadit, hinc primarium sibi vindicat locum inter topiarios frutices grato foliorum virore, & diutissime in sepiibus durat.

26. HIPPOPHAE *Rhamnoides* Fl. Sv. 906. *Hagtorn*, habitat passim in insulis & ipsis litoribus maris Balthici, solo depresso, sabuloso, salso, nec læditur aqua marina, cum ejus radices hiberno tempore a mari sæpe inundantur: altitudinem attingit proxime præcedentis, sed spinis gaudet pluribus: campos expetit apertos, & loca a mari licet remotissima non fastidit, ut videre est in horto Upsaliensi. Hujus mas & fœmina in diversis fruticibus sunt, atque adeo, si quis ejus baccas in satiationis usum colligere vult, is utrumque sexum habeat, oportet; cum autem radicibus magis quam reliqui frutices repat, facillime viviradicibus suisve his filiabus transplantatur. Propter spinas ejus ad sepes aptissima est, & topiaria & sepiaria propria litoribus maris, ubi vix alii frutices aquæ patiuntur falsedinem, sed reptatu invisa.

27. CRATÆGUS *Oxyacantha* Fl. Sv. 434. *Hagtorn*, crescit a campis Scantiæ usque ad tractus Norlandiæ vicinos; raro in silvis & vix nisi in pratis occurrit. Sabuletis

letis maxime delectatur: colles & sicca apricaq; loca quaerit, umbrosa respuit, & lætissima crescit ventis & porcellis omnibus exposita; solido & duro caule exsurgit & altitudinem binarum orgyarum sæpe attingit; plantatur satis baccis, sed semina per biennium in terra latent, nisi gallinis primum objiciantur bæcæ; difficilius propagatur stolonibus, cum ejus lignum durius sit; aptissime tondetur & densissima evadit, hinc ad sepes præstantissima, quas animalia non transgrediuntur; radicibus non repit, & plantarum proventui favet.

28. PRUNUS *spinosa* Fl. Sv. 432. *Slån*, ab extrema Scantiæ ora ad Norlandiam habitat; solum ejus proprium sunt glabreta & collium latera, etjam si nec sicciorem, nec humidiorum humum contemnat. Apricis campis lætatur; feminibus propagatur, quod quidem minus necessarium est, cum radices ejus repant, ex quibus vel centeni furculi excresecunt, qui facillime plantantur. Maxime ad sepes in Europa usurpatur, quum ramulis suis plurimis densissima fiat, pecoraque spinis excludat optime; sed nimio reptatu invisæ est, & quod ovium vellera excerpant, ut ad ejus spinas adhærescat lana, ubi illam contigerint oves.

29. BERBERIS *vulgaris* Fl. Sv. 311. *Berberis*, haut ita pridem per Sueciam jus civitatis obtinuit. Primum in hortis ab exteris terris introducta fuit, postea vero aves illam passim conserverunt per silvas, uti hodie videre est. In sabuleis habitat tam in montosis ac apricis locis, quam depressis & umbrosis, aquam tamen stagnantem non tolerat; radix est crocea, quæ quidem non repit, sed e radice stolones plurimi exsurgunt, qui facillime dividuntur & transplantantur; propagatur etjam feminibus. Si hujus frutices confertim in sepes piantentur, animalia per illas minime penetrent, utpote quæ ramis suis plurimis & acutis tridentibus excludunt. Paulo altior

Pruno

Pruno spinosa evadit & ad sepes maxime apta, tam in hortis quam collibus.

30. RIBES *Uva crispa* Fl. Sv. 208. *Krusbår*, in hortis nostris passim habitat; aves vero illam sparsim prope vias, in silvis & campis conserunt, ubi se ipsam, ab impetu animalium defendit, & cœli nostri temperiem perfert. In ruderatis lætissima crescit; & sabuleta & humum fertilem humidamque approbat. Lætior in campis quam in nemoribus exsurgit. Quod feratur non est, rami enim ejus excisi, in terra depositi radices facillime agunt, ut *Salices* & *Ribes*; humilis quidem evadit, ut dimidiam hominis altitudinem vix attingat, sed ampla & lata, ut pecora eam transgredi nequeant.

CAP. V. VEPRES.

31. ROSA *canina* Fl. Sv. 441. *Njupon*, in tota Suecia & Lapponia crescit, copiosissime circa Holmiam versus Sudermanniam; in exsiccatis collibus, ad sepimenta, petras & vias habitat, sed terram ubique pinguiorem expetit. Humidum respuit solum, locis tam umbrosis & nemorosis, quam campestribus delectatur. Si feratur, semina per biennium in terra latent, prius quam germinant, faciliiori ideoque negotio malleolis & furculis, radices facillime agentibus plantatur. Aliis fruticibus immixta, in sepibus plantata, præcipue illis in locis ubi hiant, replet ita hiatus, ut ne serpens quidem penetrare queat, præterquam, quod floribus suis pulcherrimis sepes egregie exornat, rura exhilarat colore florum pulcherrimo & odore gratissimo; altitudinem viri vix superat.

32. ROSA *spinosissima* Fl. Sv. 442. *Smörnjupon*, per totam Sueciam crescit, præcipue in acervis lapidum & ad agros, adeoque in sabuletis & montibus; altitudo ejus vix genua superat. Propagatur uti *Rosa canina*, & ad

ad fepes per acervos lapidum pertexendas, aptissima est, ubi alii frutices vix vivere possunt.

33. ROSA *villosa*. Fl. Sv. 1295. *Klånger*, primum in Suecia a Domino P. OSBECK, ad Prædium Excellentissimi Comitis, Regis Regnique Senatoris, Domini TESSIN, *Akerò* dictam reperta est, ubi in sabulosis declivibus campis crescit. Depressior est *Rosa canina*, eodem modo inque eundem usum plantari potest.

34. ROSA *eglanteria* Fl. Sv. 443. *Juglon*, frutex quidem hortis nostris proprius est, sed observatus sponte prope Gothoburgum. Minus facile quam præcedentes *Rosæ* fepes intrare potest apud nostrates; ejusdem cum *Rosa canina* est naturæ & culturæ, in eo tamen præcipue differt, quod flores flavos & folia odorata gerat.

35. RUBUS *fruticosus* Fl. Sv. 444. *Brombår*, ad maritima Landsort, Gothoburgi &c. habitat passim. *Rubo cæsis* similis est, altior, minus vero frigoris patiens, nec adeo ad radices multiplicatur. Simul aliis fruticibus immixtus habitare cupit, imprimis in umbrosis, ubi rami binarum vel trium orgyarum altitudinem attingunt, qui prorepunt vel ascendunt inter ramos fruticum vicinorum, quibus ita implicatur, ut vix ac ne vix quidem penetrentur; quamobrem hic in fepibus eundem habet usum, quem condimenta in cibus. Radices facillime agit, cum rami terram attingunt vel prosteruntur. Acuti ejus aculei pecora excludunt; baccae ejus gratissimi saporis sunt.

36. RUBUS *cæsius* Fl. Sv. 445. *Björnbar*, communis in Suecia, non vero in Westrobothnia; in locis pingvibus, imprimis humosis crescit: in siticulosa terra raro occurrit, sed solum succulentum, & humidum eligit; viget & in campis & umbris. Non opus est eum serere, augetur enim satis superque radicibus suis repentibus, & sepem laxam quidem sistit, parumque altam, sed

sed qualem nec feræ nec pecora transeant transiliantve, & ita contextam, ut nemo facile eam penetrare queat. Baccæ illum maxime commendant. Rustici queruntur, pueros altissima sepimenta, quæ illorum hortos, cerasinos aliosque circumdant, transilire; si vero minori sumtu & labore, *Pruno spinosa* vel *Rubo cæsis* eos cingerent, pueri omni sua agilitate frustra conarentur hos transcendere.

37. RUBUS *ideus* Fl. Sv. 446. *Hallon*, in tota Suecia, potissimum ad acervos lapidum habitat, & pingue omnino solum locaque aprica exposcit. Facillime plantatur divulsis furculis, qui radicanter, si vel minimum radicularum maneat. Hic frutex ad sepes vivas idoneus non est, cum minus acutis aculeis, quibus animalia excludantur, sit munitus, & deinde in opere topiario locum non obtineat, cum furculi priori anno steriles excrescant, secundo frutiferi fiant, hieme proxime sequenti prorsus emoriantur, adeo ut caules tantum bienes sint, etiamsi radix perennis.

CAP. VI. SARMENTA.

38. LONICERA *Periclymenum* Fl. Sv. 193. *Matted*, prope campestria Scaniae *) & Gothoburgi habitat **), in collibus & montibus, solo rigido & ficciori, semper vero inter alios frutices, & potissimum in locis ab altera parte apricis; scandit ramos arborum suosque proprios caules obvolvitur. Facillime radices agit, si tempore vernali caules reclinantur ad terram & passim demerguntur, relicto inter singulos intervallo quartæ partis-ulnæ; baccis vero eam propagare incertius est. In sepibus hunc usum præbet, quod eas maxime contextat, & floribus pulcerrimis, noctu maxime fragrantibus orner, præcipue vero æstivalia ex illa fiunt elegantissima.

C

39. HE-

*) *It. Scan. p. 279. 305.* **) *It. W. Goth. 146.*

39. HEDERA *Helix* Fl. Sv. 209. *Heder*, in locis paucissimis Sueciæ, sed prope Gothum Gothlandiæ, ubique in silvis, *) & in tota insula Blåkulla dicta **) hiemes nostras in Provinciis borealibus hæc etjam patitur; desiderat humum spongiosam & arbores putridas, semperque succulentam, quamobrem in umbrosis tantum crescit, & per arbores murosque serpit, ubi juxta quodlibet folium, quod instar Lauri sempervirens est, radículas agit, quibus se affigit; rami propterea excisi & in terra depositi facillime radican- tur. Sola ad sepes struendas non apta est, in latere vero umbroso illius valli, in quo sepes sunt, plantari potest, quod idem pulcre tegit & firmat; præterquam, quod virore suo perenni illud ornet. Exteri prope habitacula ex lateribus intersectis ligno constructa eam plantant, quæ undique tegit, quemadmodum tonsa sempervirens Laurus, quod jucundissimum præbet spectaculum, adeo ut quis facillime crederet, se videre veterum Dearum speluncas a Poëtis depictas.

40. SOLANUM *Dulcamara* Fl. Sv. 201. *Quesa*, macilentus frutex est, sed in tota facile Suecia, non tamen in summa Westrobothnia crescit, semper locis humidis & subaquosis, nunquam per se vel in campis, sed ad sepes & frutices sustentata; juxta terram parum augetur, nec valida est ad sepes, adeo ut non erecta persistat, nisi se aliis suffulciat; facillime seminibus confertur; sepibus immisceri potest inter alios frutices, ut eos magis contexat.

CAP. VII. CREMIA.

CREMIA adeo parvi sunt frutices, ut sepibus contextendis, quibus pœcora excludantur, vix inseruiant, & quamquam, in hortis magis ad ornatum quam usum œconomi-

*) *It. Goth. p. 221.* **) *It. Oeland. p. 129.*

nomicum interdum conspiciuntur, sic tamen hoc loco eos sic pede prætereo, verbo tantummodo commemoravisse stationes eorum contentus.

41. MESPILUS *Cotoneaster* Fl. Sv. 438. *Oxbâr*, ubique in Uplandia crescit, sed non in Norlandia, in pratis, campis, acervis lapidum & exsiccatis collibus: altitudinem pedis vix superat, ad hortorum abrupta præcipitia præcipue adhiberi potest, ne imprudentes pueri, se præcipitent incauti, si supra murum, sed in terra tamen, plantetur, tonderi potest & densa fit. Exsurgit in terra adeo sicca & sterili, ut nullus alius frutex ibi facile vivere possit; quamvis minor sit caulis, radices tamen agit profundissimas, quæ sæpissime binarum orgyrum longitudine in terram descendunt. Semina per biennium in terra latent, nisi a gallinis primum comedantur.

42. CORONILLA *Emerus* Fl. Sv. 636, in monte Jovis Gothlandiæ solum inventa est *) e rupe umbrosa & septentrionali enata: in hortis nostris vix dimidium pedem superat, & sæpe supra nivem quotannis emoritur.

43. DAPHNE *Mezereum* Fl. Sv. 338. *Tist*, habitat in subhumidis umbrosis sive nemorosis, passim per patriam, imprimis autem in Norlandia frequens. Frutex est pedalis seu sesquipedalis ramis paucissimis subdivisis, radix interdum subrepens, novos stolones exferit. Floret primo vere e gemmis lateralibus ramulorum, floribus ternis purpurascens, suaveolentibus, sæpe adeo præcox, ut et jamnum oblecta terra nive exhillaret locum. Gemmæ terminales tantum ramos exferunt, uti *Pinus sylvestris*, adeoque minime omnium topiaria est. Baccis facillime feritur & propagatur. In sepibus locum non obtinebit, cum neque ad radicem ramosa, neque tonsillis sit.

*) *It. Goth. p. 229.*

44. *POTENTILLA fruticosa* Fl. Sv. 451. *Tok*, in meridionali tractu Oelandiæ **) solum apud nos crescit, ibique copiosissime, locis semper uliginosis; in hortis nostris frigore non emoritur. Flores dat in hortis plurimos, raro vero semina in iis maturat: pedalem seu sesquipedalem altitudinem acquirit; laxa est, tondetur aptissime & juxta terram multiplicatur. Transplantari potest divisis radicibus in vario solo, sed in humidiusculo potissimum.

45. *MYRICA Gale* Fl. Sv. 907 *Pors*, per totam Sueciam, in Norlandia vero copiosissime habitat, locis uliginosis solum. Mas & fœmina in distinctis individuis sunt; eandem quam *Potentilla fruticosa* attingit altitudinem, & in locis humidiusculis solum plantatur, vix vero seminibus propagatur.

46. *LEDUM palustre* Fl. Sv. 332. *Squatran*, in tota Suecia, maxime vero in Norlandia, semper locis cœspitosis habitat; pulcerrime floret, ingratum spargit odorem, topiarium non est, ad terram multiplicatur; nec seminibus nec arte satam vidi.

47. *VACCINIUM uliginosum* Fl. Sv. 332. *Odon*, in Suecia ubique crescit, locis uliginosis, & sterilissimis, laxis & repens frutex, qui raro, nisi in appropriato solo, plantatus provenit.

48. *GENISTAE*, *Ginst*, duæ sunt: *tinctoria*, raro in Westrogothia observata; 49 *pilosa* in ericetis arenosis Hallandiæ solum, sed copiosissime.

50. *SPARTIUM scoparium* in arenosis Scaniæ ***): facillime, uti *Genistæ* seminibus propagatur, modo locus arena abundet, sed frigus heic vix tolerat.

SALICES plerumque in locis uliginosis & humentibus, præcipue vero in Lapponia & Norlandia habitant; sed *rosmarinifolia* 51 passim juxta Aboam; *incubacea*

53 - -

) *It. Oel. p. 92. 95. 84. 63.* *) *It. Scan. 272.*

53 & *repens* 55 passim in Suecia; *arenaria* 54 & *incubacea* 53 præcipue in arena; *arbuscula* 58 & *glauca* 61 in alpihus & desertis Lapponiæ. Omnes stolonibus transportantur, feminibus difficile propagantur, uti omnes *Salices*, semperque mas & fœmina in diversis fruticibus sunt. Reliquas species hujus generis enumerare supersedeo, quippe quæ adhuc minores sint, & nostro parum inserviant scopo, præcipue cum loca earum natalia, in scriptis Botanicorum & Flora Suecica commemorata sint. Omitto *Azaleam lapponicam* 62, *Vaccinium Myrtillum* 63, *Vitæque ideam* 64, *Andromedam tetragonam* 65 & *calyculatam* 66, *Pyrolam umbellatam* 67, & *Empetrum nigrum* 68, prosepibus indigenis vix præscribendos frutices.

69. VISCII *albi* Fl. Sv. 905. *Mistel*, solum mentionem faciam, qui rarius in Suecia occurrit, imprimis in Sudermannia & Westmannia: frutex parasiticus, qui in vetustis arboribus solum habitat. Ex una eademque basi mas & fœmina, diverso caule exsurgit, se per dichotomiam dividit, folia semper virentia habet in summis ramulis & baccas albas, tempore vernali maturescentes profert, ab avibus ferendas. Semina ejus, si cortici arborum pratensium & urbanarum inferantur, emergunt.

CAP. VIII. EXOTICÆ.

EXOTICÆ, quæ nostram cœli temperiem perpeti observatæ, sequentes sunt:

70 SYRINGA *vulgaris* communis frutex hortorum nostrorum, e Persia in Europam translatus. Frigus nostrum sustinet, ut a frigidissimo fumo sulphureo Falunensi, ubi alii frutices emoriuntur, non lædatur; ad viri altitudinem exsurgit; erecta & dura evadit, foliis glaberrimis, floribusque pulcerrimis, sed raro apud nos fructum maturat. Fertile solum desiderat, malleolis facile multiplicatur, solidiores sepes constituit, apteque tondetur.

71. PHILADELPHUS *coronarius*, in hortis communis, sed unde in Europam translata sit, aliis examinandum relinquo; facillime ad radices multiplicatur; sepibus uti præcedens inservit; tonsillis est; superbit floribus suis albis fragrantissimisque, sed apud nos semina matura non præbet; solum succulentum humidum & loca potius umbrosa quam aprica expetit.

72. SPIRÆA *salicifolia* frutex Sibiricus, hiemes nostras fert; terram succulentam eligit; augetur vivradicibus sive ramulis, e terra emergentibus; florescit copiose, sed semina non maturat; apud nos tendetur ad densas sepes, cujus summitates, quæ florere, hieme in sequente sæpius exarescunt.

73. ROBINIA duplex quidem est, nempe *Caragana*, quæ apud nos ad altitudinem arboris binarum vel trium orgyiarum excrefcit, & *Robinia frutex*, quæ semper frutex persistit, vix humanam altitudinem attingens & radice repens; ambæ tonderi possunt & sepibus inserviunt; prior tamen rigidior est, & ad radicem tenuior; altera vero magis laxa & repens; ambæ feminibus plantantur, hiemes patiuntur uti reliquæ e Sibiria translate.

74. LONICERA *tatarica*, ab Asia boreali, in hortos nostrates invec̄ta est; frigus nostrum tolerat. Similis est *Xylosteo*, sed altior sit; rigidis constat furculis ad radices multiplicatis; floret quotannis, sed parce fructus maturat; eodem modo ac *Xylosteum* colitur & plantatur.

75. CAPRIFOLIUM *Lonicera*, ex Italia & Europa meridionali; similis est *Periclymeno* statura, foliis, caule & flore, ut vix discerni possint; at folia suprema perfoliata sunt. Eodem modo ac *Periclymenum* plantatur, sed facilius hiemes nostras sustinet, nec ab ils corrumpitur: simili etjam modo in hortis nostris pyramidali forma plantatur.

76. RIBES *reclinatum*, medium quasi inter *Ribem rubrum*

rubrum & *Ribem Uva crispa* est, quamvis huic magis affinis caulibus aculeatis; ab hac imprimis distinguitur ramis suis laxis; plantari potest ut *Uva crispa* depactis stolonibus.

78. SABINA, ab Asia boreali, similis *Junipero*, sed sine foliis pungentibus & graveolens: transplantatur solum stolonibus, in terra potissimum succulenta & umbrosa; tondetur facile, quamvis rami laxi sint. Difficile baccis propagatur, præcipue quum mas & fœmina in diversis sint fruticibus, & uterque sexus apud nos rarius simul occurrat.

CAP. IX.

§. I.

Et sic communes frutices Sueciæ enumeravi, qui cœlum nostrum sustinent & materiam SEPIUM VIVARUM complectuntur, ex quibus sepes vivæ in Suecia possunt & debent fieri, quum id inde obtineatur, ut non tantum silvis parcatur, sed etiam pabulum suppetent pecoribus, & umbracula graminibus. Verbo addam, quæ & cujus generis sepes, ad quemlibet aptæ sint locum.

Ad PAGOS *Salicem viminalem* 1, uti optimam & altissimam, commendandam esse judico.

In PRATIS frutices sint, qui graminum proventus favent, videlicet locis in ELEVATIS valent *Xylosteum* 5, *Evonymus* 3, *Ligustrum* 7, *Prunus spinosa* 28, *Corylus* 2, *Acer campestre* 4, *Salix caprea* & *Sambucus* 1 apud PAGOS; sed in magis campestribus pratis *Oxyacantha* 27, *Rhamnus* 25, *Salix rubra*, *Rubus* & *Rosæ* &c. præterquam, quod arbores plurimæ his immisceri possint, uti omnes arbores urbanæ & pratenses, cum juxta radicem etiamnum teneræ exciduntur, ut fruticum naturam induant. In his *Ribes rubrum* 10 & *nigrum* 11 locum

cum obtinent, & in LOCIS ULIGINOSIS, *Cornus* 8, *Frangula* 13, *Opulus* 12, *Alnus*, cum *Salice purpurea* 16 & *cinerea* 17.

In SILVIS, præter *Juniperum*, inserviunt *Prunus spinosa* 28, *Berberis* 29, *Grossularia*, *Ribes alpinum* 9, *Salix fragilis*, in SCANIA vero *Carpinus*.

In CAMPIS ARENOSIS, *Alnus* & *Betula* præter *Ligustrum*.

In campis RUPESTRIBUS *Fahlbögden* & *Allewaren* præcipue *Corylus* 2, *Salix purpurea* 16, aliique frutices profundam humum non petentes.

Ad PRÆCIPITIA hortorum *Cotoneaster* 41 & *Xylosteum* 5 in locis ficioribus; infra vero *Syringa* 70, *Philadelphus* 71, *Spiræa* 75, *Sabina* 77, *Ribes* 76 &c.

Ad ÆSTIVALIA *Periclymenum* 38 & *Caprifolium* 75 optime implicantur; alias *Tilia*, *Ulmus*, *Carpinus* tondentur, retrahuntur, & arcibus affiguntur, tecta formant & fenestrarum aperturas patiuntur; quo loco mihi prætereundum non est *Lycium barbarum*, frutex Indicus, qui cœli nostrî temperiem sustinet, & quum in supremo vertice laxior sit, æstivarum ædium tecta optime pertexere potest. Præterea quo plures *Sentes* & *Vepres* sepibus inseruntur, eo magis excludere pecora possunt.

In PALUDIBUS CÆSPITOSIS nullum fruticem præter *Betulam nanam* 14 aptum video & ad litora MARIS nullum nisi *Hippophae* 26.

§. II.

Quemadmodum magnopere cavendum est, ne aliæ arbores in prata inferantur, nisi quæ graminum proventui favent, ita etiam a re est, non alios ferere frutices, nisi qui ei deserviunt usui; tales sunt: *Corylus* 2, *Sambucus* 1, *Acer campestre* 4, *Frangula* 13, *Cornus*

nus 8, Evonymus 3, Xylosteum 5, Ligustrum 7, Ribes omne, Salix purpurea 16, Oxyacantha 27, Rhamnus 25, adhuc minus Opulus 12, Salix pentandra 18, Hippophae 26, Berberis 29 & Grossularia.

Cum sepes vivæ plantantur, opus est ut caveamus ne altera harum alteri justo propior collocetur, uti hodie sepimenta rusticorum, sed ut spatium areae XII vel XVIII tonnarum relinquatur inter altiores sepes; si enim area nimis spatiosa evadunt, plantæ breviores crescunt.

§. III.

Cum sepes plantandæ sunt, fossa primum fodiantur, ut vallum in ejus uno latere sit; in eo autem ebæ invertantur, nisi necessariae fuerint ad latera vallum tegenda, præcipue si terra adeo mollis sit, ut pluvia ablui possit. In hoc plantetur sepes primo vere antequam vernent arbores, quod mense Germinationis fit, tum etiam semina ejusmodi fruticum terræ inserantur, ut enata, repleant interstitia fruticum. Primo anno a pecorum moribus sepimento defendi debet sepes; anno sequenti frutices spithameæ altitudinis, caule ab imo ad summum relicto refecentur, ut stolones confertim ad radicem emittant: deinde sepes vere vel autumnno vel etiam tempore S. Johannis tonderi debent, ut densiores evadant, & caveat quisque tonsura frequentissima, ne ullus fruticum arbor fiat.

Si quis frutex penitus emoriatur, statim plantari debet alius, donec vero novus ille eo excresecat, ut septioni inserviat, arida Junipero, virgis, exsectis superfluis ramulis sentum vel baculis, spatium vacuum repleatur *)

D

Ejus-

*) ANGLI, qui in sepiibus rite adornandis palmam facile reliquis eripiunt, sequentibus imprimis utuntur fru-

Ejusmodi labore, unde post aliquot demum annorum spatium expectatus habetur usus, agricola multis liberatur incommodis, contra vero multum poterit habere voluptatis ususque.

S. D. G.

ticibus: ILEX *Aquifolium* (*Holletre*) ad sepes tonfiles commodissima. ULEX *europæus* (*Furze*) ad sepes in Ericetis sabulosis densissimas. CRATÆGUS *oxyacantha* (*Whwhite-thorn*) præstantissima, quod non repat, diuque duret. RHAMNUS *catharticus* (*Buckthorn*) quod egregie vireat. PRUNUS *spinosa* (*Black-thorn*) ob ptatum incommoda.



